CAPUT XXXII.

Novem adhuc Gochiæ ſuperſtites captivi Clivos ducuntur, & examinantur.

TRigeſimâ Martii primo mane circa horam quartam eodem comitatu, quo reliqui Clivos abducuntur. Dum ergo curribus imponuntur, Ceporinus circumquaque diſcurrit per plateas, ſingulos currus perluſtrat viſurus, num etiam omnes adeſſent. Abeuntibus his verbis altâ voce prolatis valedicit: *Vaert henen, maer gy ſult niet all wederkoomen.* Clivos appulſi hinc inde ſordidis carceribus intruduntur, omnes quoque coram Tribunali Aulico in præſentiâ Fiſcalis examinati, & cum Textore confrontati fuerunt, & ſinguli de iiſdem rerum circumſtantiis interrogantur, quia inter eoſdem adhuc quidam reperiebantur, qui Examen Gochiæ necdum ſubierant, inter quos erant ſemicatholici, qui ab initio ſibi perſuadebant, an fortè alii rectæ fidei Catholicæ tenaciſſimi Cives quidquam abſque eorum præſcitu ſcripſiſſent, ſed veritate detectâ melius ſapere cœperunt, & falſitatem quaſi manibus palpare. Primus omnium producitur Mathias Mom ſicut & Textor, qui mox affirmare audet Mathiam Mom ſupplicam Ruremundæ Marchioni Spinolæ exhibuiſſe. Nota nunquam id Textor ante hac dixerat, niſi modò confiſus revelatione Petri Exken per inhumana tormenta violenter extortâ. Hiſce opponit Mom: totâ vitâ meâ Ruremundam non vidi; interrogate tibicinem apud me hoſpitantem, & ſervum meum, nec non omnes domeſticos, an unicâ nocte extra proprios lares pernoctarim. His dictis exire jubetur. Pervenit

ordo

ordo ad secundum, Joannem Verlingh, cui omnia Gochiæ objecta iterum ob oculos ponuntur; verùm fundamentali ratione hæc refutat, quare torturam minantur; veruntamen ad eandem non pervenerunt. Camerâ deinde educitur. Progreditur tertius, Joannes Abels, qui à Fiscali de iisdem punctis insimulatur, hunc Textor omnem movens lapidem convincere volebat de Supplicâ in æde pastorali signatâ; verùm replicat Abels: Tu mihi non probabis, quòd in æde pastorali fuerim, nisi adhuc in vitâ Pastoris, qui tum temporis ad mortem usque decumbebat, quem invisi. Tum dicebat Textor: obviàm te habui in cœmiterio. His dictis immiscet se valde discretè loquendo Fiscalis: Nemini prohibitum esse potest, nec debet cœmiterium transire. Pergunt ulteriùs ad juramentum præstitum de non violando secreto. Cui propositioni Abels respondet: Nunquam vidi juramentum præstari, multò minùs ipse feci. Aderat quidam, qui diversis vicibus Textorem respiciens, & digitos elevans quærit: *Hebbense niet soo gedaen.* Verùm plompinus, & stompax ille Textor ne quidem tantum scientiæ habebat, ut hoc intelligere posset; sed perplexâ fronte solummodo capite annuit, ita Domine, stans velut lignea cujusdam Mopsuli statua. Taliter & Abels prius suum hospitium subit. Evocatur quartus, Conradus Keysers, quem de pasquillis in Principem fabricatis interrogant. Dicit Keyser se nunquam similia vidisse. Pergunt ulteriùs: Quidnam ergo constaret de proditione. Respondet Keyser, se nunquam quidpiam audiisse, nisi ante quatuor fermè septimanas, quando centuria Capitanei Vighs Thielam abierat, & paulò post revertebatur, tum rumor spargebatur proditionem quandam

sub

ſub cineribus latere, ideóque centuria hæc reverſa fuit. Interrogant ulterius, quamnam ſcientiam haberet de convivio in Nieuwencloſter gerendo, ad quod invitatus fuerat Gubernator Gochiæ cum uxore ſuâ, ut interim circa tale tempus præſidium Geldrienſe Gochiam occuparet. Quibus Keyſer dicit ſe ſuâ vitâ de ſimili materiâ nequidem audiiſſe. Intrat eodem momento Textor, inquiens Conradum Keyſer quoque ſubſcripſiſſe: cui Keyſer, vidiſtine? reſpondet Textor: non. Pergit Keyſer: quomodo ergo ſcis? ſuperaddit Fiſcalis: quâ ratione hæc tibi conſtant, cùm non videris? pergit & Keyſer: cùm dicas te ſcire, & non videris, ſic nomina mihi virum fide dignum viſionis hujus teſtem. Reſpondet Textor: quatuor aut quinque idipſum mihi dixerunt. Deſuper interrogat Fiſcalis: an Keyſer etiam jurârit. Reſpondet Textor: *Jae in het Choor, als het versloten waer.* Interrogat: quâ viâ igitur rurſum eximus? dicit Textor: *Den Sleutel hat ghy in de Deur gesteken.* Interrogat Keyſer: erâtne Clavis foris, vel intus? ait Textor: intrinſecus. Exclamat Keyſer, & collum præſecandum porrigit, ſi ullo clauſtro janua illa intrinſecus claudatur. His auditis ait Textor: puto ab extra. Quomodo ergo intus congregati idipſum aperire poterant. Cui Textor reſpondet: *Gy weet wel, dat Licentiaet Abels omliep over het hoogh Choor, ende liet ons uyt.* Reſpondet Keyſer ſemiridendo: intelligo jam Licentiatum officium Portarii adminiſtraſſe, & conſequenter minimum inter nos fuiſſe: quis has ineptias non rideat. Excuſare mox hanc abſurditatem conatur quidam Conſiliarius dicens: Textor hoc tantum dicit memoriæ recolligendæ gra-

tiâ. Ait Keyser : qua-de-cunque causâ hoc dicit perinde est, quia falsum : vitam meam vobis oppignorare volo, si claustrum Januæ isti sit annexum, sed tantummodo pessulis occluditur. Quod, si mihi fidem habere nolitis, mittite exploratores, quod & Rutgerus Abels requisierat. Verùm hoc non arridebat. Keyser tam magnanimiter se defendente interrogat ulterius Fiscalis, num etiam in Hospitio Elberti Voest apud Gubernatorem de Verdugho fuerit. Respondet Textor : *Hy had hem daer niet gesien.* Petit in momento Keyser revisionem Prothocolli Gochensis, ubi Textor fatetur Keyser in ædibus Voestii à se visum. Pergit Fiscalis, qualem scientiam Keyser haberet de literis ab Archiduce scriptis. Ait Textor, *Niet te weeten, off hy daer Weetenschap aff hadt.* Protestatur de novo Keyser, & ad Gochense se Prothocollum provocat, ubi Textor contrarium asseruerat. Prosequitur sermonem suum Keyser : quia vos sapientes & discretos Dominos suspicio, sic judicio vestro discutiendum relinquo ; an Dominus Consul, & Cives captivi tam fuissent stupidi, ut si tale quid in mente circumferrent, hoc cum tam stupido & semifatuo Textore communicare vellent, quem nec homo novit, unde venerit, ideoque nullâ prorsus, respectu tot honestarum familiarum, fide dignus. His dictis exit ad locum unde.

CAPUT XXXIII.

Describitur ulterius reliquorum Examen.

QUintus feralem scenam subit Arnoldus Roeloffs Civis prædives, verùm propriam sibi fermè formans